

Delegat. cessat recusatione legitime proposita, et pronunciata super eam sententia, quod Judex Delegatus sit suspectus; c. *Judex* 5. de Offic. deleg. in 6. et concordant c. *Causam* 17. c. *Insinuante* 25, et c. *Suspicionis* 39. de Offic. et potest. Jud. Deleg. c. *Licet* 10. de foro compet. c. *Ut debitus* 59. de Appellat. c. *Quod suspecti* 15. caus. 3. quæst. 5.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(62. Multa sunt, quæ a jure Pontificio generaliter Delegata sunt Episcopis. Interest autem nosse et quidem ad plures effectus, quando Episcopus in his vere procedat uti Delegatus S. Sedis, et quando procedat uti Ordinarius. (63. Ut enim aliquos afferamus effectus, priori casu, non ad Metropolitanum, sed ad Summum Pontificem appellandum est, at posteriori casu interponenda est appellatio ad Metropolitanum; Fagnan. in c. *Ad audientiam* n. 47. de Ædific. Eccl. (64. Præterea priori casu defuncto Episcopo, in ea Capitulum regulariter non succedit, succedit vero posteriori casu; Leuren. de Vicar. Episcop. tract. 3. cap. 1. quæst. 461. per tot. Vide et alium effectum in Add. ad Ver. CONVENTUS art. 2. n. 42, et duob. sequent.

(65. Ad dijudicandum autem, quando in mox dictis Episcopus procedat tamquam Delegatus Sedis Apostolicæ, et quando tamquam Ordinarius, hæc attendenda sunt.

(66. I. Si agatur de actu, qui minime cadebat sub jurisdictione ordinaria Episcopi, non continuo pronunciandum est, procedere Episcopo ex delegatione Sedis Apostolicæ, sed videndum utrum verba *Auctoritate Apostolica* conjuncta sint cum verbo *Concedimus*, vel simili, an cum verbo *Facias*, vel simili. (67. Si conjuncta sint cum verbo *Concedimus*, extensa potius dici debet jurisdictione Episcopi ad actum illum, sin autem conjuncta sint cum verbo *Facias*, delegata censi debet a Sancta Sede particularis illa jurisdictione; Garz. de Benefic. part. 5. cap. 7. n. 40. Leuren. de Vicar. Episcop. tract. 3. c. 1. q. 461. n. 3.

(68. II. Si res sit de actu, quem ordinaria Episcopi jurisdictione complectebatur, non obstantibus quibuscumque verbis importantibus delegationem, dicitur Episcopus procedere qua Ordinarius, quum facta ea dicatur ad firmiorem reddendam jurisdictionem ipsius Episcopi. (69. Hæc vero delegatio fieri a Summis Pontificibus solet cum verbis hæc: *Auctoritate etiam Apostolica*: nam particula illa, *etiam*, est implicativa jurisdictionis ordinariæ; Fagnan. in cap. *His quæ*, numer. 67. de Major. et obed.

Episcopi; sed nec eidem speciali mandato committi ab ipso potest. Illa enim verba, *per seipsum*, electam demonstrant personæ industriam, et causam Delegari non posse.

Episcopi etiam tamquam Sedis Apostolicæ Delegati, in omnibus Ecclesiis Parochialibus, vel Baptismatibus, in quibus populus ita numerosus sit, ut unus Rector non possit sufficere Ecclesiasticis Sacramentis administrandis, etc., cogere possunt Rectores, vel alios ad quos pertinet, sibi tot Sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, vel cultum Divinum celebrandum. In iis

(70. III. Si tractatur de actu, qui comprehendebatur utique olim sub jurisdictione ordinaria Episcopi, sed postea privilegio fuit exemptus, regulariter procedere dicitur Episcopus, uti Delegatus Apostolicæ Sedis; Fagn. in c. *Ad audientiam* num. 46. de Eccles. ædific. Dico regulariter; nam nonnumquam Summi Pontifices submoto obstaculo exemptionis, restitunt ordinariam jurisdictionem, ut quum nullis utuntur verbis continentibus delegationem. (71. Exemplum habes in decretis de celebratione missarum editis a Sac. Congregatione Concilii interprete, et approbata san. mem. Urbano VIII. (72. In iis, enim, ut dictum est in addit. ad verb. *Conventus* art. 2. num. 41. *conventus* postea fundandi, qui careant duodecim Religiosis, submoto privilegio exemptionis, restituti dici debent pristinae ordinariæ jurisdictioni Episcopi; propterea quod nullum occurrit verbum continens delegationem. Hactenus de delegatione a jure.

(73. Quod attinet ad delegationem ab homine, ad illustrationem regulæ firmatæ ab Auctore num. 18. quod delegatus a Principe regulariter potest subdelegare, non importune quæritur, an delegatus ab aliqua Sacra Congregatione Urbis dici queat delegatus a Principe, ita ut possit subdelegare? Affirmare videtur Rota in Cesenaten. Prelationis 4. Maii 1733. § *Cætera*, coram Illustris. Caprar. Alm. Urb. Gubernat. et in acerrimo partium contradictorio admissum fuit a Sacra Congregatione Concilii interprete in Larinen. Decimarum 10. Maii 1733. et in confirmatoria Decembris ejusdem anni 1733.

(74. Nec incongrua est quæstio illa, an delegato Vicario Generali, delegatus etiam dici debeat successor in eo officio. Negant nonnulli ea de ratione, quod Vicarius Generalis utpote dependens ab arbitrio Episcopi proprie non dicitur habere successorem. At prævaluit affirmativa sententia, propterea quod hodie Vicarius Generalis dicitur habere successorem, attenda ea, quæ ubique gentium invaluit, consuetudine regendi Dioceses per Vicarios Generales: Zypæus Jur. Pontific. nov. lib. 1. de offic. Delegat. numer. 3. Genuens in Prax. Curie Archiepiscop. Neapol. c. 85. n. 1.

(75. De Jurisdictione delegata, an ea partium consensu tum expresso, tum tacito prorogari queat de loco ad locum, necnon de tempore ad tempus confer Carleval. de Judic. lib. 1. disp. 1. q. 8. sect. 1. et 2. Bocer. de Jurisd. c. 6. n. 6.

vero, in quibus ob locorum distantiam sive difficultatem Parochiani sine magno incommodo ad percipienda Sacramenta, et divina Officia audienda accedere non possunt, novas Parochias, etiam invitatis Rectoribus, juxta formam Constitut. Alexandri III. quæ incipit, *Ad Audientiam*, 5. de Eccles. ædificand. constituere possunt. Ita Concil. Trid. Sess. 21. cap. 4. de Reform. Hæc facultas cum Vicario Generali Episcopi communicatur, quia e jure ordinario competit Episcopo. Quare Sacrum Concilium voce, *etiam*, utitur, quæ jurisdictionem ordinariam supponit. (Episcopi etiam tamquam Sedis,) etc.

ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

(76. Sed alia verior hujus rei ratio apparebit ex verbis ipsius Conc. Trid. quæ allegata ab Auctore subsequuntur. «Etsi aliquem interim ex designatis mori contigerit, substituat ordinarius loci cum Consilio Capituli, alium in ejus locum usque ad futuram Provinciam, aut Diocesanam Synodum, ita ut habeat quæque Diocesis quatuor saltem, aut etiam plures probatas personas, ac ut supra, qualificatas, quibus hujusmodi causæ a quolibet Legato, vel Nuntio, aut etiam a sede Apostolica committantur, alioquin post designationem factam, quam statim Episcopi ad Summum Romanum Pontificem transmittant, delegationes quæcumque aliorum judicum, aliis, quam his factæ subreptitiæ censeantur.» (77. Usus delegandi personas in dignitate constitutas non a concilio Tridentino traxit originem, sed a constitutione Bonifacii VIII. in cap. *Statutum* de rescriptis in 6. «Sancimus igitur, ut nullis nisi dignitate præditis, aut personatum obtinentibus, seu Ecclesiarum Cathedralium Canonicis causæ auctoritate Literarum Sedis Apostolicæ, vel Legatorum ejusdem, de cætero committantur, nec audiantur alibi quam in Civitatibus, aut loci insignibus, ubi possit commode copia Peritorum haberi.»

(78. Vidit hanc Constitutionem Concil. Trident. et merito confirmavit, sed non satis litigantium indemnitati ita consultum nocens, cum plerique in dignitate constituti non ea sint doctrina præditi, quæ ipsorum dignitati convenit, ideoque nimis fallacem esse deductionem a dignitate ad doctrinam, hinc statuit ut in Provinciali, vel Diocesana Synodo non modo aliquot eligerentur personæ, quæ essent Ecclesiasticis, et Spirituibus cognoscendis causis idoneæ, verum insuper mandavit, ut eadem personæ statim ac essent nominatæ ab Episcopis Summo Pontifici denunciarentur, ut ipsis impostero causas committere tuto valeret. (79. Hujus decreti executio quantum litigantium securitati prospiceret, et ad rectam justitiæ administrationem conferret nemo non videt, nihilominus ab Episcopis neglecta fuit, qui numquam Judicum Synodalia nomina ad Apostolicam Sedem transmiserunt, si causam excipias a Cardinali Bellarmino comment. in Concil. Trident. ad cap. 10. sess. 25. adnotatum, ut observat. Benedict. XIV. de Synod. Dioces. lib. 4. cap. 5. § 6. (80. Hinc factum est ut Tridentina Sanctio in desuetudinem quasi prorsus abierit, et Sedes Apostolica ad normam cap. *Statutum* personis in dignitate constitutis nulla habita Synodalia judicum ratione, quorum nomina ignorat, causas committit.

(81. Ita ad rem notat Barbos. comment. in Concil. Trid. dict. cap. 10. sess. 25. num. 25. «Decretum hoc de committendis causis solis Judicibus Synodalibus respectu Papæ in usu non est cum adhuc frequenter ipse committere soleat causas aliis personis, tam in dignitate Ecclesiastica constitutis, quam deputatis in Synodo; sed id verosimiliter ex eo

procedit, sive quia sit supra Concilium, sive quod Diocesanis Episcopi ex sua parte etiam non curent, ad Summum Pontificem transmitti nominationes, et designationes Judicum a Synodo factas, quod tamen juxta hoc Decretum facere tenentur, et sic Papa ex quadam quasi necessitate justitiæ administrandæ decretum non observat.» (82. Hac inobservantia nonnulli interdum apud Sac. Congregat. Concil. conquesti sunt Episcopi, eo quia minus idoneis delegarentur causæ, quæ Sacra Congregatio dissimulans, hujusmodi abusus a sola Episcoporum oscitantia, et culpa procedere, decrevit ut Tridentinum Decretum executioni demandaretur, prout rescripsit ad Turritanum Antistitem die 3. Febr. 1635. lib. 5. decret. pag. 162. a terg. «Significatum est Ministris hujus Sanctæ Sedis pro commissione causarum in partibus, ut eas non nisi ab Archiepiscopo in Synodo ad præscriptum cap. 10. sess. 25. de reformat. designatis, et notificandis committant.» (83. et ita dum Sac. Congregationis Secretarii fungebatur munere observari curavit, ut ipse testatur, Benedict. XIV. loc. cit. in fin. ubi § 7. et 8. diligenter exquirat, et rejecit causas, ob quas, Episcopi negligunt ad Apostolicam Sedem transmittere nomina Judicum Synodalia. Vide ulterius litteram encyclicam ejusdem Benedict. XIV. inter suas Constit. *Quamvis paternæ* 28. tom. 1. Bullarii, et Gagliard. instit. jur. Canonic. lib. 1. tit. 25. § 4.

(84. Solet interdum Romana Curia causas ut plurimum contentiosas non uni tantum, sed duobus, vel tribus, aut etiam pluribus delegare ad exemplum juris civilis in l. 76. ff. de iudicis, iisque in solidum cum clausula, quod si omnes interesse nequiverint, vel noluerint, unus vel duo procedere valeat, cap. *Prudentiam* 21 cap. *super* 3. et cap. *licet* 30. de offic. delegat. Hoc casu Apostolicas delegationis litteras uni ex pluribus delegatis, quem maluerit, pars solet exhibere, quod si ille recuset commissum officium acceptare, aut ex adversa parte suspectus allegetur, tunc litteræ aliis quoque singillatim exhibentur. Gagliard. instit. jur. Canonic. lib. 1. tit. 25. § 5. præsertim in notis lit. A. et electi Judicis sententia, etiam insciis aliis, et non convocatis, valet. Hoc idem dicendum si causa pluribus in solidum delegata sit, dummodo tamen clausula delegationis his non sit concepta verbis, «si non omnes interesse, vel cognoscere poteritis, tum duo vel reliqui procedant, et causam exequantur.» Hoc quippe casu constare debet de impedimento illius, qui non interfuit, secus aliorum sententia nullius remanet roboris, ut casum a casu distinguendo docet Pirhing in Decretal. lib. 1. tit. 29. sect. 2. § 2. num. 42. et 43. Quod si his, vel similibus omissis clausulis, causa pluribus sit simpliciter delegata, tunc unus sine alio nequit procedere, et unus sententia absque aliorum approbatione irrita remanet; Pirhing loc. citat. numer. 39. Intellego tamen quando partes a duobus, vel unum tantum ex Judicibus delegatis citatæ omnibus delegatis præsentibus compareant, licet

non tenerentur c. Cum causa in princ. de offic. et potest. Judic. deleg. Pirhing loc. cit. num. 40. Cæterum si duo tantum ex tribus delegatis procedant, sententia nullius roboris est, licet tertius ex post eam ratam habeat; Pirhing. loc. cit. num. 41. nisi unus ex delegatis vices suas alteri condelegato commiserit. Cap. *Quamvis* 6. de offic. judic. delegat. Delegatus enim, licet a Pontifice, nequit alijs suam subdelegare jurisdictionem præter condelegatis, quibus, uno deficiente, munus delegationis superest obeundum, præterquam in casu mortis; cap. *Uno* 42 de offic. judic. deleg. Gagliard. Instit. jur. Canonie. lib. 1. tit. 25. § 5. in fin.

(85. Delegati vero officium in hoc versatur, uti ipse ad formam a literis delegationis præscriptam, juris ordine servato, suum diligenter exequatur munus, nec ullo modo jurisdictionis sibi mandatæ fines excedat, adeo ut irritum nullumque prorsus habeatur quidquid vel præter, vel contra tenorem accepti mandati, et juris ordinem, agere tentarit, nisi agatur de rationalibus exceptionibus commissæ causæ connexis, quæ licet in delegationis literis expressæ non sint, possunt tamen a delegato cognosci, dummodo id expresse prohibitum non sit; cap. *Ex parte tua* 13. cap. *prudentiam* 21. de offic. judic. delegat. cap. *Cum dilecta* 22. de rescriptis. Quod adeo verum est, ut neque ex partium consensu ad alias quam a Delegante designatas causas possit mandata jurisdictionis prorogari, aut ad alias personas extendi; c. *P. G. per literas* 40. de offic. judic. deleg.

(86. Quod supra diximus delegatum de accessoriis causæ posse iudicium ferre, id limitari solet in iis rebus « quæ specialem requirunt commissionem: secundo si quod expediri debet proprie, ac directe, non ad causam delegatam, sed ad alterius jurisdictionem, ac potestatem pertineat: tunc enim is prius monendus est, ut præstet quod ex officio debet, si vero malitiose id detrectet, tum demum expedire id poterit delegatus. » Pirhing. in decret. lib. 1. tit. 29. sect. 4. § 82. 83. Layman in cap. *Prudentiam* § sexta not. 2. de offic. jud. delegat. Cæterum ubi causa

aliqua delegatur, ea insuper omnia, sine quibus eadem nequit ad exitum perducere censentur commissæ, usque ad sententiæ definitivæ prolationem, vel executionem; c. *Suspicionis* 39. de offic. jud. deleg.

(87. His ita præmissis, Delegatus partes coram se in jus vocaturus, non modo de acceptæ delegationis tenore certiores reddere tenetur, sed ipsis quoque suæ delegationis litteras ostendere debet, et in actis publicis exhibere. Ex plene enumeratis per Rotam cor. Molines decis. 27. num. 9. coram Falconer. de benefic. dec. 11. num. 6. cor. Crispo decis. 390. num. 4. et decis. 406. n. 4. cum nemo, « nisi de mandato Sedis Apostolicæ certus extiterit, exequi non cogatur, quod mandatur » cap. *Cum in jure peritus* 31. de offic. delegat. (88. Deinde locum audientie suæ præfinire debet infra spatium viginti miliarium designandum, quod unius legitimi diei est iter, cum longius distantes ad delegati nequeant iudicium trahi, ut in cap. *Statulum* de rescriptis in 6. definit Bonifac. VIII. licet Innocent. III. (89. antea statuisset longius duorum dierum spatium. Demum jurisdictionem sibi mandatam, partibus rite auditis exercebit, omnia quæ ad causam spectant, accurate cognoscens; cap. *Præterea* 5. de offic. delegat. contumaces æque ac iudicato non parentes puniet, et pœna vel a legibus indicta, vel arbitraria eosdem coercere poterit, nullo facto personarum discrimine, licet de Prælato, et Ordinario loci agatur, etiamsi in delegationis litteris hoc expressum non legatur. Pirhing. loc. supr. citat. § 72. et plur. seq. Gagliard. loco citato § 6.

(90. Hic quæri potest an Delegatus possit a Litigantibus aliquid accipere intuitu suscepti muneris. Absolute negat Pirhing in Decretal. lib. 3. tit. 1. § 7. 8. et 9. sive delegatus sit a Papa, sive a Principe, sive ab alio inferiore Judice Ordinario veluti Episcopo, excepto tamen casu, quo proprium domicilium egrediatur. Molin. de just. et jur. tract. 2. disp. 84. n. 7. et 12. et disp. 85. n. 2. Vide tamen declarationes allatas a Pirhing. loc. cit.

DENUNCIATIO

QUOD AD DELICTA SPECTANTIA AD S. OFFICIUM.

SUMMARIUM.

1. Affertur in primis Edictum Universalis supremæ Inquisitionis Romanæ. — 2. Ex tali Edicto denunciandi sunt Hæretici, et suspecti de Hæresi, Schismatici, eorumque fautores. — 3. Hæretici evidenter cogniti tales denunciandi sunt, quamvis probari non possint. — 4. Item denunciandi sunt supersticiosi, si sua superstitio sit cum expressa, vel tacita Dæmonis invocatione, et sit mortaliter peccaminosa. — 5. Item denunciandi sunt docentes, deferentes, aut prædicantes aliquam ex propositionibus damnatis, et proferentes aliquam ex pravis propositionibus ad S. Officium spectantibus. Quæ autem sint tales propositiones? remissive. — 6. Item denunciandi sunt Confessarii sollicitantes ad turpia in Confessione etc. frangentes sigillum Confessionis. — 7. Item denunciandi sunt Sacra Scriptura abutentes in sortilegijs, incantationibus, divinationibus, et hujus-

modi. — 8. Denunciandi sunt tandem omnes, et singuli, quos denunciandos esse præcipiunt Edicta Universalis supremæ Inquisitionis Romanæ, et Edicta particularium Inquisitorum, seu Ordinariorum ejusque respective Diœcesis. — 9. Ad denunciandum ex vi Edictorum tenentur omnes, et singulæ personæ sive mares, sive mulieres plenum, et perfectum rationis usum habentes, sive sæculares, sive Moniales, et regulares cujusque gradus, ordinis, etc. — 10. Affertur ad id Edictum Universalis supremæ Inquisitionis Romanæ. — 11. Hinc sub talibus Edictis tam quoad denunciationem activam, quam passivam, comprehenduntur Regulares omnes, etiam Generales. — 12. Item etiam Cardinales, Duces, Reges, et Imperatores, licet contra ipsos non soleat procedi, nisi consulto summo Pontifice. — 13. Filius tenetur denunciare Patrem hæreticum; et pater hæreticum filium, etiamsi non dogmatizet. Et a fortiori ad id tenentur uxor, maritus, frater, soror,

et alii conjuncti. — 14. An quæ dicta sunt de ipsis formaliter hæreticis, dici debeant etiam de ipsis solum de Hæresi suspectis, ad n. 15. — 16. Hæreticus, aut suspectus de Hæresi non tenetur denunciare se ipsum, nisi quando interrogatur ut reus a Judice. — 17. Item Hæreticus socius criminis non tenetur denunciare complicem, nisi quando juridice interrogatur. — 18. Catholici non tenentur denunciare Hæreticos in locis illis, in quibus sunt permixti, id scientibus Episcopis, et inquisitoribus. — 19. Obligatio denunciandi formaliter Hæreticum perseverat adhuc post mortem ipsius Hæretici. — 20. Immo obligatio denunciandi formaliter Hæreticum jam mortuum, perpetuo durat. — 21. Obligatio autem denunciandi alios reos quantumvis vehementer de hæresi suspectos, extinguitur morte ipsorum delinquentium. — 22. Viget obligatio denunciandi Hæreticum, quamvis credatur jam emendatus. — 23. Viget obligatio denunciandi delinquentem, etiamsi statim post commissum delictum pœniteat, si in ipso cognoscatur fuisse plenam advertentiam, et deliberationem ad sic delinquendum. — 24. Probabile periculum gravis damni in vita, bonis, et honore non liberat ab obligatione denunciandi formaliter Hæreticum, etiamsi non dogmatizet. — 25. Liberat autem tale probabile periculum ab obligatione denunciandi solum suspectum de Hæresi. — 26. Licet quis, aut quæ semel tantum maleficium, sortilegium, aut superstitionem fecerit, adhuc debet denunciari. — 27. Accedens ad Confessionem animo non confitendi peccata, sed inducendi Confessarium ad Hæresim, est a Confessario denunciandus. — 28. Non tenetur tamen, nec potest Confessarius denunciare Hæreticum, quem talem scit ex vera ipsius Sacramentali Confessione. — 29. Immo nêdum Confessarius, sed nec qui casu aliquo talem pœnitentem suam Hæresim Confessario Sacramentaliter confitentem audivit, debet ac potest denunciare, ac revelare. — 30. Non excusatur tamen a denunciando Hæreticum formalem Confessarius sciens delictum ratione consilii a se petiti, nisi consilium a se petatur, et detur in Sacramentali Confessione. — 31. Ab obligatione denunciandi Hæreticum, aut suspectum de Hæresi non excusatur secretum naturale, sub juramento de non revelando. — 32. Nec etiam excusat ab obligatione denunciandi, si delictum sit occultum, et probari non possit. — 33. Item non excusatur ab obligatione denunciandi, qui commissum delictum audivit a persona fide digna. — 34. An autem denunciare teneatur, qui audivit a persona levi, et non fide digna. Remissive. — 35. Quando plures sciunt commissum delictum, etiamsi unus denunciaverit, non excusantur alii ab onere denunciandi. — 36. Denunciatio Hæretici ex malitia, aut suspecti de Hæresi, est facienda nulla præmissa correctione fraterna, etiamsi firmiter

(1. Affertur in primis edictum Universalis supremæ Romanæ Inquisitionis, ut sequitur. « Noi, etc. Per la misericordia di Dio, della S. Chiesa Romana Cardinali in tutta la Repubblica Cristiana contra l'eretica pravità Generali Inquisitori della S. Sede Apostolica specialmente deputati.

« Essendo a noi per la continua esperienza manifesto, che molti per malizia, altri per inobedienza, ed altri per ignoranza non soddisfanno all'obbligo, che hanno di denunciare al Sant'Offizio li delitti spettanti ad esso, e che per ciò succedono grandissimi inconvenienti, ed errori, non solamente contro i buoni, e Cristiani costumi, ma ancora contro la Fede Cattolica; Noi per tanto, ai quali specialmente dev'essere a cuore la gloria di Dio, la conservazione, ed aumento della Fede Cattolica, e la salute

emendatio speretur. — 37. Denunciatio est facienda intra terminum in Edictis præfixum. — 38. Qui sine justa causa, et legitimo impedimento non denunciatur intra præfixum terminum, peccat mortaliter, et incurrit ipso facto excommunicationem reservatam Summo Pontifici, et Inquisitoribus, seu Ordinariis. — 39. Qui intra præfixum terminum non denunciavit, tenetur, adhuc post elapsum dictum terminum denunciare. — 40. Denunciatio in Regnis Hispaniarum fieri debet solis Inquisitoribus; in alijs vero Regnis, et Provincijs potest fieri etiam Episcopis. — 41. Pœnitens, qui ob non factam denunciationem intra præfixum terminum incurrit Excommunicationem, quamvis accedat ad Confessarium, et promittat se statim denunciaturum, non potest ab ipso absolvi, licet sit privilegiatus. — 42. Pœnitens, qui ob omissam denunciationem incidit in Excommunicationem, facta postea denunciatione, potest quidem absolvi a privilegiato, non autem a simplici Confessario. — 43. Sic pœnitens qui intra debitum tempus non denunciavit, quamvis postea ex aliqua causa extinguatur onus denunciantis, non potest absolvi a simplici Confessario, sed solum a Privilegiato. — 44. Regulariter loquendo Confessarii non debent absolvere pœnitentes obligatos ad denunciandum, antequam actu denunciaverint. — 45. In aliquibus tamen casibus expedit, quod confessarii ipsos absolvant ante factam denunciationem. — 46. Confessarii cautissime procedere debent circa imponendam pœnitentibus obligationem denunciandi. — 47. In casu, quo reperitur vera obligatio denunciandi, nec possit pœnitens induci ad personaliter denunciandum quid agendum. — 48. Quamvis Confessarius non moneat pœnitentem de obligatione denunciandi, adhuc pœnitens ad id tenetur. — 49. Confessarii, qui culpabiliter, et malitiose non moneant pœnitentes de obligatione denunciandi, seu docent ad id non teneri, sunt denunciandi Episcopis, vel Inquisitoribus. — 50. Denunciations debent fieri in scriptis cum expressione nominis, et cognominis denunciantis, et subscriptionis illius, si sciat scribere, et non denunciatis hoc modo non potest absolvi. — 51. Omittentes denunciare Hæreticum, cum possunt, et ad id tenentur ex Officio, et testes legitime interrogati veritatem celantes, aut minuentes sunt suspecti de Hæresi, et fautores Hæreticorum; adeoque ultra Excommunicationem Edicti incurrunt Excommunicationem Bullæ Cœnæ, et sunt denunciandi. — 52. Non sic autem si omittant denunciare ob causam in se honestam. — 53. Sic etiam omittentes denunciare suspectum de Hæresi, non sunt ita suspecti de Hæresi ut denunciandi, quamvis possint puniri omnibus alijs pœnis statutis in Edictis Inquisitorum. — 54. Legitime impeditus, durante impedimento, non tenetur denunciare per alium. — 55. Alia ad rem, remissive.

dell' anime, volendo provvedere a tanto disordine, con autorità Apostolica a Noi commessa, comandiamo in virtù di Santa Ubbidienza, e sotto pena di scomunica di lata sentenza, oltre l'altre pene prescritte da' Sacri Canon, Decreti, Costituzione, e Bolle de' Sommi Pontefici, per tenore del presente Editto a tutte, e ciascuna persona di qualunque stato, grado, condizione, o Dignità, così Ecclesiastica, come Secolare, che fra il termine di un mese, dieci de' quali per il primo, dieci per il secondo, e dieci il terzo termine perentorio, si debbano rilevare, e giuridicamente notificare al S. Officio, ovvero agli Ordinari, tutti e ciascuno di quelli, de' quali sappiano, o abbiano avuto, o averanno notizia:

« Che siano Eretici, o sospetti, o diffamati di eresia, o credenti, fautori, o ricettatori.